SCHULZE-GAEVERNITZ

DE TESTAMENTO GENSERICI

1859

DE
TESTAMENTO GENSERICI
SEU
DE ANTIQUISSIMA LEGE SUCCESSORIA
IN
GERMANORUM REGNIS

SCRIPSIT

HERMANNUS SCHULZE
PROF. JUR. ORDIN. IN UNIV. VIADRINA.

JENAE
PROSTAT APUD FRIDERICUM MAUKE.
1859.

DE

TESTAMENTO GENSERICI

SEU

DE ANTIQUISSIMA LEGE SUCCESSORIA

IN

GERMANORUM REGNIS

SCRIPSIT

HERMANNUS SCHULZE

PROF. JUR. ORDIN. IN UNIV. VIADRINA.

JENAE

PROSTAT APUD FRIDERICUM MAUKE.

1859.

Rec. Dec. 1, 1904.

PROOEMIUM.

Vandali, qui regnum florentissimum in Africa condiderunt atque per unum saeculum obtinuerunt, neque juris patrii collectionem, neque formulas, ut ceterae Germanorum gentes, reliquerunt. Deficientibus ejusmodi monumentis, non mirum videtur, quod omnes antiqui nostri juris investigatores regnum atque jus Vandalorum aut plane neglexerint aut obiter tantum tetigerint.

Inter singulas leges Vandalicas, a scriptoribus traditas, illa constitutio Genserici[1] praeclarissime eminet, qua magnus ille rex, primus ac solus inter omnes Germanicos reges illius temporis, ordinem succedendi in regno suo stabilivit. Quae gravissima magni Germanici regis constitutio mihi satis digna videtur, ut singulari commentatione hic primum investigetur. Praeclarum enim obtinet locum in historia juris Germanici atque optime illustrat principia successionis, quae in antiquis Germanorum regnis valuerunt.

Textus quidem hujus legis ad nos non pervenit; fontibus autem historiae Vandalicae denuo perspectis atque scriptorum testimoniis accurate inter se comparatis conati sumus enucleare vim ac naturam hujus constitutionis successoriae, quae — insigne legislationis antiquae Germanicae documentum — historiae juris patrii amicis, spero, haud indignam praebebit cogitandi materiem.

INDEX.

§. 1.
DE RATIONE SUCCEDENDI IN ANTIQUISSIMIS GERMANORUM REGNIS.

Tacitus, nostrae antiquitatis doctus et intelligens existimator, jam suo tempore duplicem ac diversam Germanicarum civitatum formam observat. Distinguit enim „gentes quae regnantur" ab iis civitatibus, quae reges non habent, sed ab electis principibus gubernantur, Germ. cap. 25. Non tamen apud Germanos regia potestas libertati populi contraria erat, nec regibus infinita ac libera potestas[2]. Jam autem quaeritur, quid intersit inter regum potestatem et principum illorum autoritatem?

Taciti temporibus discrimen minus majore potestatis amplitudine, quae regibus competit, quam potestatis caussa et fundamento continetur. *Eliguntur* enim principes a populo iis in civitatibus, ubi regia potestas nondum est recepta[3]. Reges autem *jure hereditario* potestatem obtinent[4]. Quos Tacitus „principes" vocat, electi sunt magistratus, quorum totum jus et auctoritas mandato popularium nititur; reges autem prodeunt ex regia familia jure hereditario. Quando enim apud Germanos vir strenuus ad regiae potestatis fastigium pervenit, ut Maroboduus inter Marcomannos, non sibi soli, sed familiae suae dignitatem summam acquirit. *Ubi igitur reges, ibi etiam gens regia*, inter nobiles nobilissima familia. Ita summa veneratione apud Marcomannos et Quados colebatur „nobile Marobodui et Tudri genus," Tac. Germ. 42; ita creaverunt Franci reges „de prima et ut ita dicam nobiliori Merovingorum familia," Gregor. Turon. II, 9, ita ferunt „Chlogionem, tunc nobilissimum in sua gente, regem Francorum fuisse."

Ostrogothi nihil sanctius habebant, quam regiam stirpe Amalorum, Jorn. de rebus Geticis 13. Apud Visigoth „origo mirifica ex genere Baltharum," celebrabatur, Jorn. cap. 2 apud Langobardos „prosapia Gungingorum generosior hab batur," Paul. Diac. I, 14. Reges Anglosaxonum originem rep tebant a Wodano, summo et maximo Deorum. Heruli, Procopi teste, legatos in Scandinaviam miserunt, ut illic prognatu ex sanguine regio „αἵματος τοῦ βασιλείου" quaererent, qui ipsi ad obtinendam regiam potestatem solus aptus eâque dignus vi deretur, Procop. de bello Goth. II, 15. Tantus erat apu omnes Germanorum nationes regiae familiae cultus ac reveren tia. Sanguine regio prognatis jus erat succedendi, nec ulli ex traneo coronam adipisci licebat, aliquo superstite ex regi stirpe. Sic Jornandes, Gothorum regiam stirpem celebran exclamat: „Quisnam de Amalo dubitaret, si vacasset (regem eligere!" [5]

Agnito autem hoc totius regiae familiae *jure* succedend *ordo* succedendi ratione firma et immutabili non stabilitus era Sed constituto cum regia potestate jure hereditario, tame jus eligendi populo non plane erat ademtum. Sacrum et in violabile remansit jus regiae familiae; cui tamen ex hac famili succedendum esset, non certo successionis ordine erat defini tum, sed populus dignissimum sibi ex omnibus regiae familia masculis eligebat. Apud Germanos igitur jus hereditarium cu electione ita est conjunctum, ut haud immerito antiquissim Germanorum regna *hereditaria-electicia* nominentur [6]. Ja Tacitus breviter indicat hanc eligendi rationem his verbis: „re ges ex nobilitate sumunt." Nobilitas quidem summa ac prim in tota natione i. e. ex gente regia origo est succedendi co ditio ac fundamentum, sed *sumunt* populares ex hac gent eum, quem optimum et utilissimum habent.

Qua ratione ab initio in Germanorum regnis jus heredita rium regiae familiae cum electione populi conjunctum sit, nun paucis demonstrabimus.

I. Ostrogothi.

Gothi jam a Tacito iis populis annumerantur, qui reges habent: „harum gentium insigne erga reges obsequium,“ Germ. c. 43. Gens regia *Amalorum* ab antiquissimis temporibus inter Gothos sacra [7]. Ermanaricus, magnus Gothorum rex, a Jornande „nobilissimus Amalorum“ vocatur, Jorn. de rebus Get. c. 23; omnes ejus successores prodeunt ex eadem illustri stirpe, tamen non semper unus rex, sed inter fratres imperii divisio [8]. A Theoderici Magni temporibus divisio regni jam non habet locum. Etiam inter Gothos jus hereditarium regiae familiae cum electione populi conjunctum est. Theodericus ipse patris designatione atque Gothorum consensu ad potestatum pervenit [9]. Deficientibus filiis, Theoderico Magno Athalaricus, ex filia Amalasuntha nepos, successit, cujus tamen pater etiam Amalus fuerat. Hanc originem successionis suae esse fundamentum demonstrat, quod tamen egeat populi agnitione et electione [10]. Athalarico mortuo, Amalorum sanguis ita respiciebatur, ut femina, Theoderici filia Amalasuntha, regiam dignitatem obtineret, „quae Theodatum consobrinum regni sui faciebat participem“ [11]. Sed etiam hic erat Amalus, „germanitatis gratia accersitus,“ Jorn. de rebus Get. cap. 59. Sero Gothi, periclitante republica, discedebant ab Amalorum gente „et eligebant Vitigim, virum haud illustri loco natum, sed clarissimum praeliis“ [12]. Ipse tamen Vitigis sua electione jus regiae tirpis violatum esse sensit nec satis legitimam suam successionem. Quamobrem „*regnum suum confirmans*, regiam puellam Mathesuentham, Theoderici regis neptem, sibi plus vi, quam amore copulat,“ Jorn. de regnorum successione.

Ostrogothorum quoque regnum antiquissimis ab temporibus sque ad interitum *hereditarium* erat in gente regia („quis nim de Amalo dubitaret, si vacasset eligere!“); sed nemini x hac familia sine electione populi regiam dignitatem assequi licebat.

II. Visigothi.

Visigothi ab Ostrogothis separati familiam priscam regiam inter se non habebant. Etsi igitur „super se Alaricum regem ordinarent, cui erat post Amalos secunda nobilitas *Baltharumque* ex genere origo mirifica“ [13]: huic tamen generi prisca familiae regiae deerat autoritas. Quamobrem jam ab initio jus electionis praevalebat in Visigothorum regno. Sed regium sanguinem non plane omittebant in eligendis regibus Visigothi. Ex Theoderici familia quinque reges succedebant [14]. Ab eo vero tempore, quo regni sedes in Hispania fundata erat, aperte declaratum est, nullum esse successionis titulum, nisi populi electionem. Concil. Toled. VII. can. 17. Hac ratione Visigothorum regnum ex hereditario - electicio in *mere electicium* mutatum est.

III. Franci.

Franci sumebant ab antiquissimis temporibus reges ex Merovingorum genere, quibus portentosam originem attribuebant [15]. Initio cum hoc Merovingorum jure hereditario, ut apud omnes Germanicos populos, electio erat conjuncta. „Juxta pagos vel civitates reges crinitos super se Francos *creavisse* de prima et ut ita dicam nobiliori suorum familia“, Gregorius tradit.

Chlodovaeus, magni Francorum regni in Gallia conditor, tanta pollebat potentia, ut dividere possent ejus filii inter se provincias regni quasi patrimonium familiae. A Chlodovaei temporibus populi electio paene evanuit atque Francorum regnum factum est mere hereditarium. Haec strictior apud Francos juris hereditarii forma a scriptoribus expressis verbis commemoratur [16].

Semper filius regis patri defuncto succedere debebat [17], quod in ceteris Germanorum regnis non tam stricte observabatur. Impuberes filios regis defuncti a regno excludere, contra jus ac mores Francorum erat.

Deficientibus filiis, frater defuncti regis fratrisque filius habebatur legitimus successor. Guntramnus rex fratris filium his verbis declaravit regni heredem: „Nihil enim, dixit, de stirpe mea remansit, nisi tu tantum, qui mei fratris es filius. Tu enim heres in omni regno meo succede.“ Gregor. VI, 33. Si *plures* filii aderant [18], natu maximus nequaquam solus succedebat, sed regnum dividebatur inter omnes filios. Omnes masculi, qui ex Merovingorum familia originem trahebant, jure succedendi gaudebant. Nec unquam rex a Francis agnitus est, qui Merovingorum sanguinis non fuisset [19]. Rebelles ipsi contra legitimam regum potestatem, ut Mundericus et Gundovaldus, ante omnia praetendebant se ex Merovingorum familia oriundos esse [20].

Enervata ipsa Merovingorum stirps per longum tempus retinebat priscam majorum dignitatem atque Grimoaldus, major domus potentissimus, qui Francorum regnum ad filium suum transferre studuit, hanc temeritatem capite luebat. Maxima erat rerum conversio, cum Pipinus denique ultimum ex genere Merovingorum regem solio regio depulit atque ipse regnum capessere ausus est. Quae quidem usurpatio sine ecclesiae ac Summi pontificis auctoritate sanciri non potuit.

IV. Langobardi.

Nulla inter Langobardos familia talem obtinuit per multa saecula auctoritatem, qualem habuerat inter Ostrogothos Amalorum, inter Francos Merovingorum gens. Primo aspectu nulla succedendi regula, sed arbitrium atque casus in creandis regibus valuisse videtur. Sed accuratius inquirentes, etiam apud Langobardos, in longa regum serie, quandam familiae regiae continuationem atque inter singulos reges connexum propinquitatis invenire possumus [21].

Primi Langobardorum reges ex *Gungingorum* familia sumebantur, quae inter eos „generosior habebatur prosapia“ [22]. Quae quidem familia jam cum Lamichone, tertio rege, extincta

est. Ab hoc tempore jus succedendi in *Lethi* regis familia re mansit. „Hi omnes *Lethingi* fuerunt; sic enim apud eos quae dam nobilis prosapia vocabatur." Paul. Diac. I, 21.

Posteaquam in septima generatione Lithingorum stirp virilis extincta fuit, etiam *feminarum* ex hac familia jus suc cedendi agnoscebatur. De feminarum jure successionis divers Germanorum populi diversa principia statuebant. Langobar dos, deficiente stirpe virili, etiam feminis illud jus concessisse non potest negari. Autharis rex electus regnum suum e confirmare studuit, quod in matrimonium duxit Theodelin dam, Bavarici ducis filiam, quae erat neptis Wachonis regi ex Lethingorum stirpe. Mirantur interdum scriptores, quod mortuo Authari, Langobardi Theodelindae jus concedebant ut sibi maritum populoque regem denominaret. Quae tamen res non mira videtur, dummodo reputamus, Theodelindam non solum viduam regis, sed reginam ex proprio sanguinis jur fuisse. Nominavit Theodelinda Agilulfum, qui postea ab omni bus Langobardis „in regnum levatus est," Paul. Diac. III, 34 Eadem ratio observabatur in Gundiperga, filia Theodelindae cui jus succedendi, fratre Adaloaldo mortuo, competebat transferebat ea regiam potestatem in utrumque maritum Arioal dum et Rotharim. Rodualdo rege mortuo, cum omnes Theo delindae descendentes extincti essent: regnum ad Aripertum Wachonis regis pronepotem pervenit, in ejusque linea reman sit usque ad Aripertum II. Cum Ansprando nova familia re gnum adepta est, cujus nexum cum Lethingis invenire non possumus. Ab his temporibus jus hereditarium magis magis que postponitur, omnisque in successionibus regula evanescit unde regnum ipsum mox labefactatur.

Genealogia regum Langobardorum accuratius perspecta[2] nexum propinquitatis, per longam regum seriem, a Letho us que ad Luitprandum, persequi licet. Qua ex re apparet, etiam in Langobardorum populo regum successionem, ut apud omne Germanorum gentes, utroque principio et hereditario et ele

cticio nixam fuisse [24]. Quam quidem principiorum per se contrariorum consociationem in omnibus Germanorum regnis, antiquissimis temporibus exstitisse, etiam Anglosaxonum et Scandinavorum historia luculenter docet [25].

Maximis autem rerum conversionibus, quas Germanorum civitates subierunt, haec antiqua successionis principia magis magisque labefacta sunt, ita ut *aut* jus hereditarium *aut* jus electionis sensim praevalere inciperet atque Germanorum regna aut *mere hereditaria* [26] aut *mere electicia* [27] fierent.

Fatis, quae principia successionis in diversis Germanorum regnis subierint, breviter expositis, accuratius rationem succedendi in Vandalorum regno tractabimus. Quae quidem ob eam caussam accuratiore indagatione digna videtur, *quia primus inter omnes Germanorum reges, Gensericus individuam regni naturam atque certum ordinem succedendi, hoc juris publici monarchici fundamentum, expressa lege constituit.*

---

§. 2.

DE VANDALORUM FATIS EORUMQUE STIRPE REGIA ANTE OCCUPATIONEM AFRICAE [28].

Vandali annumerantur magnae Gothorum genti: „hae partes diversae gentis Gothicae nomine quidem, nulla vero re praeterea inter se differunt: *eaedem leges*, eadem sacra, una demum lingua, quae Gothica vocatur“ [29].

Commemorantur obiter Vandali a Plinio et a Tacito [30]. Sedes eorum antiquissimae inter Viadrum superiorem atque montes Asciburgicos fuerunt [31], unde hi montes etiam Vandalici nominabantur [32]. Magno Marcomannico bello Vandali, relictis sedibus antiquis, ad ripas Danubii pervenerunt. Pace cum Romanis facta, novam patriam in Dacia invenere, quas sedes Jornandes accuratissime descripsit [33]. Vandalis, qui a Gothis ex his sedibus expellebantur, Constantinus Magnus domicilium

in Pannonia assignavit. Ibique Vandali remanserunt per LX annos [34]. Quinto saeculo ineunte in Germaniam occidentalem progressi, Vandali cum Alanis et Suevis juncti Francos profligavere magno proelio atque Rhenum transivere a. 406 [35]. Gallia per tres annos devastata, Vandali et Alani et Suevi Hispaniam occupaverunt eamque inter se diviserunt, Gallaeciam Vandali et Suevi, Alani Lusitaniam et Carthaginiensem provinciam et Vandali cognomine Silingi Baeticam sortiti sunt [36]. A Wallia, Visigothorum rege, Alani sunt ita debilitati, „ut pauci, qui superfuerant, Gunderici regis Vandalici patrocinio se subjugarent" [37] et cum Vandalis unum populum efficerent, quam ob caussam reges Vandalorum ab hoc tempore reges Vandalorum et Alanorum appellabantur [38].

Vandali cum Suevis vicinis certantes, relicta Galaecia, ad Baeticam transierunt [39]; inde, Bonifacio, Africae comite, suadente, Africam invasere (429) [40].

A Vandalis proprie dictis distinguuntur *Vandali cognomine Silingi* [41], qui olim provinciae Silesiae nomen dederunt. Principalis ac major populi pars *Asdingorum* nomine ornabatur [42]. Nec mirum videtur, quod eadem appellatio, quae parti totius nationis, etiam familiae regiae κατ' ἐξοχὴν tribuitur. Neque desunt exempla, quae docent, apud Germanos saepius populo nomen familiae regiae inditum esse [43]; populus enim opinabatur se quodammodo repraesentari familia sua regia, inter nobiles nobilissima.

Multis testimoniis comprobatur, *omnes* Vandalorum reges, ab antiquissimis temporibus usque ad interitum regni, sumtos esse ex regia Asdingorum familia [44].

Jornandes de rebus Geticis c. 22 Visumarum regem hac ex familia ortum esse testatur:

„Geberich (Gothorum rex) primitias regni sui mox in Vandalica extendere cupiens contra Visumar eorum *regem Asdingorum e stirpe*, *quae inter eos eminet genusque indicat bellicosissimum*..."

Eidem familiae regiae, cui in Dacia jam parebant, Vandali fideliter adhaerebant per omnes migrationes, per tot discrimina rerum, usque ad ultimum regni diem.

Dracontius poeta, qui Gunthamundo rege in Africa vivebat, familiae regiae Vandalicae gloriam ita praedicat:

„Ut qui facta ducum possem narrare meorum,
Nominis *Asdingui* bella triumphigera."

Dracontii satisfactio v. 22. Carm. ed. Arevalo p. 371.

A *Luxorio* poeta nominatur „Carthago *Asdingis* genitrix", cum hac in urbe regiae familiae incunnabula essent. Burmann, Anthol. II, 629. Neque a dignitate sua alienum putavit Athalaricus, Ostrogothorum rex, comparare suam regiam familiam cum Vandalorum gente regia:

„Hilderico Regi Vandalorum Athalaricus Rex...... Si inter *Hasdiringorum* (Hasdingorum) stirpem retinuissetis Amali sanguinis purpuream dignitatem." Cassiod. Var. IX, 1.

Cum post interitum regni, Gelimer ultimus rex Vandalorum Constantinopoli per triumphum duceretur, eum homines, qui *Astingi* nominabantur, secuti sunt:

„*Γελίμερα αὐτὸν σὺν τοῖς ἐνδόξοις τοῦ ἔθνους, οὓς ἐκάλουν Ἀ σ τ ί γ γ ο υ ς οἱ βάρβαροι.*" Lydus de magistrat. III, 55.

Procopius II, 2. autem narrat cum Gelimere rege propinquos omnes, „*τὸ ξυγγενὲς ἅπαν*", per triumphum ductos esse, unde elucet, Asdingos, a Lydo commemoratos, regiae familiae propinquos fuisse, qui alias apud Vandalos „*ἀνέψιοι*" vocantur. —

Primis temporibus etiam apud Vandalos *plures* duces eodem tempore regnabant [45], quibus interdum etiam regium nomen tribuitur [46]. Sed ab eo tempore, quo relicta Pannonia, Vandali insigniorem locum inter populos obtinere incipiebant, *uni* regi semper parebant, nec umquam *divisionibus* unitas regni violabatur.

A *Godigisclo rege* nexum propinquitatis atque successionem regum certius prosequi licet.

Vandali Pannoniam reliquerunt Godigisclo rege, qui magno praelio contra Francos occisus est[47] (406), cui successit Gundericus filius in regia potestate[48]. Gundericus, teste Idatio, capta Hispali, interiit (427).

Gunderico autem non filii, qui minores aetate fuisse videntur, sed Gensericus *frater* successit, Godigiscli filius[49]. Sic etiam apud Vandalos non stricta a patre ad filium successio observabatur, sed, filiis ultimi regis minoribus, is inter agnatos praeferebatur, qui erat fortissimus, praesertim frater regis defuncti. Quomodo Gensericus, magnus regni fundator, hanc antiquam consuetudinem lege sanxerit, infra ostendam.

---

§. 3.
DE FUNDATIONE REGNI VANDALICI IN AFRICA.

Gensericus cum Vandalis suis, quibuscum mixti erant Alani aliique Germani, Africam petebat a. 429, multisque praeliis copias Romanorum ita profligabat, ut Valentinianus imperator a. 435 pace facta portionem Africae „*ad habitandum*" Vandalis concedere cogeretur[50]. Carthaginem ipsam Romani retinuerunt, sed etiam hanc urbem potentissimam, fracta pace, Gensericus a. 439 occupavit. Bello denuo incepto secunda pax cum Romanis a. 442 finem imposuit. Ab hac pace fundatio regni Vandalici in Africa est computanda. Prima pace Vandalis „data portio Africae *ad habitandum*", secunda autem imperator, *definitiva* ratione, eis partem Africae optimam ac maximam cessit, quam *diversam* utriusque pacti rationem verbis distinctis Prosper indicat[51]. Imperator ac rex Vandalorum plane ex aequo agebant, ita ut Imperator ne speciem quidem principatus superioris sibi reservare posset in regno Vandalorum, quae per longum tempus ab imperio Romano retineba-

tur in regnis Burgundionum atque Visigothorum. Qua ex re repetenda est diversa tractandorum provincialium ratio apud hos populos atque in Vandalorum regno. Vandali nudo occupationis jure Africam possidebant, nec ullum certum jus provincialium agnoscebant. Divisio terrarum, certis regulis circumscripta, inter Vandalos ac provinciales non facta est, sed Vandali ipsi inter se terras „funiculo hereditatis“ divisere. Quod provincialibus relinquebant, mera res gratiae erat [52].

Valentiniano imperatore mortuo, Gensericus fines regni sui ita proferebat, ut jam totius Africae ambitum obtineret [53]. Nec bellum inter utrumque imperium Romanum ac Vandalos saevire desinebat usque ad *pacem sempiternam* [54], quam Gensericus a. 475 cum Zenone imperatore Byzantino fecit. Eadem ratione etiam cum imperio occidentali et post eius interitum cum Odoacro Gensericus foedera icit, ut regnum, ex omnibus partibus pacificatum, Hunerico filio relinqueret.

§. 4.

DE LEGIBUS VANDALORUM.

Etiam in Vandalorum regno Romani jure Romano vivebant, Vandali jure Germanico. De Vandalorum jure ac legibus perpauca scimus. Jure *Gothico* Vandalos usos fuisse, Procopius docet. Proc. de bell. Vand. I, 2. Quod quidem de legibus *scriptis* non est intelligendum, sed de antiquis consuetudinibus populi Gothici, cujus partem efficiebant Vandali.

Primo quidem aspectu mirum videtur, quod Vandali non reliquerint juris patrii ac legum suarum collectionem, quales paene omnes populi Germanici in regnis, in solo Romano conditis, sibi composuerant. Quaeritur, quomodo populus Vandalorum per totum saeculi spatium, sine omni juris ac legum corpore remanere potuit? Ne quis opinetur Vandalorum re-

ges rudiores fuisse, quam ut de legibus ferendis atque col ligendis umquam cogitassent. Exstant sane singulae lege optimae a Genserico ejusque successoribus promulgatae, qua a scriptoribus traduntur. Gensericus, jam initio regni, contr impudicitiam promulgavit severissimam legem, quae a Sal viano tradita, ostendit, quam bene rex magnus intellexeri morum integritatem regnorum esse firmissimum fundamen tum [55]. Nec non pravas consuetudines in ludis circensibus leg tollere studuit [56]. Etiam leges a Genserici successoribus condi tae ad nos, pervenerunt, praesertim illa lex Hunerici, qu omnes in Arianos ab imperatoribus statutas poenas, jure retor sionis, in suo regno in catholicos coërcendos adhibet [57].

Gensericus, regni conditor, regiam potentiam tam adauxit ut etiam legum ferendarum potestatem sine populi consens exercuisse videatur. Nullo enim loco concilium populi aut pro cerum in Vandalorum regno commemoratur. Quam majorem potestatem Gensericus sibi comparasse videtur, oppressa procerum suorum conjuratione, qui regis voluntatem, antiquo Germanico more, etiam in regno nuper condito, circumscriber studuerunt atque regiae potestati extendendae se opposuerunt. Occisis paene omnibus, qui inter Vandalos nobilitate excelle bant [58], Gensericus regnum suum, nemine prohibente, legibu ordinare potuit. Ab hoc tempore regis potestas tam firmat erat, ut procerum auctoritas plane evanesceret. Hic rex igitur penes quem unum ac solum legum ferendarum potestas erat, me quidem sententia, hac potestate usus est, ut totius regni sta tum lege fundamentali ordinaret, quod ex his verbis Procopi conjicio:

„Χρόνον δὲ ὀλίγον Γιζέριχος ἐπιβιοὺς ἐτελεύτα, πόρρω που ἤδη ἡλικίας ἥκων διαθήκας διαθέμενος, ἐν αἷς ἄλλα τε πόλ λα Βανδίλοις ἐπέσκηψε καὶ τὴν βασιλείαν ἀεὶ Βανδίλω ἐς τοῦτον ἰέναι, ὃς ἂν ἐκ γόνου ἄρρενος αὐτῷ Γιζερίχῳ κατὰ γέ νος προσήκων πρῶτος ὢν ἁπάντων τῶν αὐτοῦ ξυγγενῶν τὴν ἡλι κίαν τύχοι."

Exeunte vita demum Genserico de legislatione atque constitutione regni intentius cogitare licuit, quia tum tandem respublica Vandalorum satis pacificata erat. Usque ad hoc tempus, rex continuis bellis distractus, ad opus tam grave incumbere nequiverat. Pace autem aeterna cum Romanis facta, regi grandaevo nihil magis cordi esse debebat, quam legislatione regnum confirmare, quod armis condiderat. Promulgavit igitur, extremo vitae tempore, constitutionem, qua ordinem succedendi ac *multa alia* praecepit. Quae quidem lex nomen *testamenti* habet, „διαθήκας διαθέμενος"; verbum διαθῆκαι enim apud scriptores hujus temporis semper testamentum significat [59]. Tamen nemo hic de vero testamento, sensu strictiore juris civilis, cogitabit. Testamentum enim scriptum est heredibus; haec autem Genserici dispositio non filiis solum, sed toti populo Vandalorum praecepta fecit, „ἐν αἷς ἄλλα τε πόλλα Βανδίλοις ἐπέσκηψε", quae ad ordinandum regni statum pertinebant. Nec de filiorum successione solum Gensericus disposuit, sed ordinem succedendi *in perpetuum* lege ordinavit. Nomine quidem haec dispositio testamentum erat, re vera autem gravissima regni Vandalici constitutio, quae quidem ad similitudinem testamenti eo accedebat, quod Gensericus eam, quasi ultimam voluntatis dispositionem, populo suo reliquit. Quam ob rem Victor Vitensis haud immerito hanc dispositionem non testamentum, sed „*constitutionem Genserici*" nominat. Nec Justinianus imperator haesitat Genserici constitutionem „νόμον τοῦ Γιζερίχου" vocare, quam iisdem litteris „διαθήκας" nominaverat.

Haec Genserici constitutio tota ad nos non pervenit, sed ex illa Procopii notitia conjiciendum est: Gensericum praeter ordinem succedendi sanxisse hac constitutione etiam alia gravissima juris publici principia „ἄλλα τε πόλλα", quae cum regni successione arctissime cohaerebant [60]. Num etiam Gensericus de jure *privato* Vandalorum hac in lege aliquid praescripserit, nihil conjicere audeo. Ne operam perdamus id con-

jecturis supplendo, quod temporum injuria abolevit, ad eam solam constitutionis partem nunc respiciamus, quae a Procopio tradita, Genserici praecepta de regni successione continet.

---

§. 5.
DE LEGE SUCCESSIONIS A GENSERICO PROMULGATA.

Ut apud omnes Germanorum populos, sic etiam inter Vandalos initio jus hereditarium cum electione populi conjunctum erat. Sed occupatis Romanorum provinciis, quae pro patrimonio victorum habebantur, regnis Germanorum in solo Romano conditis regia potestas tam augebatur, ut electio populi magis magisve evanesceret. Cum proceres ubique in eligendis regibus summam auctoritatem exercuissent, Gensericus post illud nobilitatis excidium, quod commemoravimus, audere potuit, ut regnum Vandalicum faceret mere hereditarium. Mea quidem sententia, cum fracta nobilium oppositione arctissime cohaeret ejusdem regis lex successoria, qua jus eligendi plane antiquatur. Sed electione populi abolita, *omnes* filii regis defuncti eodem jure hereditario gaudere videbantur, ita ut *divisio* regni evitari nequivisset. Sic in Francorum populo a Chlodovaei tempore regnum dividebatur inter filios, quasi regiae familiae patrimonium [61]. Sine dubio talem regni divisionem post Genserici mortem ejus filii poposcissent, nisi rex prudentissimus ejusmodi desideriis constitutione sua occurrisset. Nonne Gensericus interitum potentissimi regni Hunnorum, ex divisione ortum, tum ante oculos habuit [62]? Nec dubitandum est, quin divisio, in omnibus regnis periculosa, Vandalorum rempublicam statim eversisset. Vandalorum enim populus haud numerosus, Arianus, catholicorum incolarum inimica multitudine circumdatus, nulla alia ratione, quam *indiviso unius regis* imperio, auctoritatem suam defendere potuit. Magnae igitur prudentiae est documentum, quod primus ac solus, inter omnes hujus

aevi reges, Gensericus naturam *individuam* regni expressa lege stabilivit. Quae hac lege de successione statuuntur, nunc jam accuratius inquiramus.

Non sufficit, ut legislator individuam regni naturam constituat, sed etiam desideratur certa norma, qua in quovis casu is designatur, qui ex pluribus agnatis ad regni successionem vocatus sit. Recte juris publici periti distinguunt inter *jus* et *ordinem* succedendi [63].

Jus succedendi habent *omnes* agnati, qui a primo acquirente sunt oriundi; *ordine succedendi* ex omnibus his agnatis unus tantum ad successionem vocatur, atque certa series constituitur, ex qua deinceps singuli successores perveniunt ad regnum.

§. 6.
DE JURE SUCCEDENDI EX CONSTITUTIONE GENSERICI.

Ex lege Genserici iis tantum *jus* succedendi competit, qui:

1) Genserici sunt descendentes; nemo umquam, nisi ex eo oriundus, successionem sibi vindicare potest: „τὴν βασιλείαν ἀεὶ Βανδίλων ἐς τοῦτον ἰέναι, ὅς —— αὐτῷ Γιζερίχῳ κατὰ γένος προσήκων.“ Gensericus enim, quamvis ex antiqua Asdingorum regia familia ortus, tamen haud injuria pro *primo acquirente* regni habebatur [64];

2) tamen nequaquam omnes Genserici descendentes jure succedendi gaudent, sed ii tantum, qui ipsi sunt *generis masculini* atque per mares descendunt a primo acquirente: „ἐκ γόνου ἄῤῥενος αὐτῷ Γιζερίχῳ κατὰ γένος προσήκων.“ Invaluit igitur apud Vandalos principium successionis, quod nos hodie vocamus *mere agnaticum*, quo feminae atque ex feminis descendentes i. e. omnes *cognati* a successione excluduntur. Quo in principio agnatico Vandali cum Francis consentiebant, qui filiabus filiarumque descendentibus nullum

jus succedendi concedebant[65]. Quod ad filiarum jus succedendi adtinet, diversos Germanorum populos diversa principia ab initio secutos esse, alio loco exposui[66].

3) Origo *ex aequali matrimonio*, quae hodie juris succedendi conditio esse solet, a Genserico *non* requiritur. Nec mirum hoc videtur, cum illis temporibus, in nulla Germanorum regia familia, certa principia de aequalibus matrimoniis valerent. Quamquam semper et ubique matrimonia cum regum filiabus regibus majori laudi atque honori erant: tamen nequaquam apud Francos, Ostrogothos, Visigothos, Vandalos liberi ex minus nobilibus uxoribus, ne ex concubinis quidem, a regni successione semper excludebantur[67]. Ut Theodericus Magnus, rex Ostrogothorum, ex Erelieva concubina, sic etiam Gensericus ex ancilla erat natus[68]. Duo tantum Vandalorum reges, Hunericus et Thrasamundus, cum filiabus regum matrimonio conjuncti erant[69], ceteri habebant uxores originis ignotae. Eodem autem jure succedendi gaudebant omnes Genserici masculi descendentes, nulla *matrum* originis habita ratione. Quod igitur Gregorius Turonensis V, 21. de regum Francorum liberis praedicat, etiam de Vandalorum progenie valet:

„*praetermissis nunc generibus feminarum*, regis vocitantur liberi, qui de regibus fuerint procreati.“

---

§. 7.
DE ORDINE SUCCEDENDI EX CONSTITUTIONE GENSERICI.

Cum *omnium* Genserici descendentium masculorum jus succedendi hac constitutione sancitum esset, eaque lege praecipue id spectaretur, ut *indivisum* regnum conservaretur, prudenti regi etiam ordo certus statuendus erat, quo unus ex omnibus his agnatis in quovis casu designaretur, qui solus es-

set successor legitime vocatus. Nec revera Gensericus omisit, talem ordinem lege sua praescribere.

Cum de electione regis per populum, qui olim ex tota regia familia strenuissimum elegerat, valde adaucta regia potestate, sermo esse nequiret: Gensericus, in ordine succedendi praescribendo, nullam meliorem normam sequi potuit, quam *aetatis praerogativam.* Quae quidem cum diversis succedendi rationibus conjungi potest.

Tres sunt principales succedendi formae [70], quibus aetatis praerogativa respicitur:

1) *Primogenitura.* Hac succedendi norma non graduum, sed lineae ratio habetur; aetatis praerogativa quidem dominatur, sed inter filios dumtaxat, ubi vero ultra filios controversia producta est, tum aetatis ratio non habetur, sed loci ac lineae. Tota stirps natu majoris stirpem natu minoris excludit.

2) *Majoratus* sensu strictiori. Hac succedendi forma primo ratio habetur proximi gradus, inter eos autem, qui eodem gradu gaudent, maximus natu ad successionem vocatur.

3) *Senioratus*, ubi neque lineae neque graduum ratio habetur, sed sola praerogativa aetatis valet, ita ut ex omnium agnatorum numero semper is vocetur, qui natu maximus est.

Ex fontium testimoniis apparet, Gensericum lege sua neque primogenituram neque majoratum, sed senioratum instituisse:

„ἐπέσκηψε καὶ τὴν βασιλείαν ἀεὶ Βανδίλων ἐς τοῦτον ἰέναι, ὃς ἂν ἐκ γόνου ἄῤῥενος αὐτῷ Γιζερίχῳ κατὰ γένος προσήκων, πρῶτος ὢν ἁπάντων τῶν αὐτοῦ ξυγγενῶν τὴν ἡλικίαν τύχοι.“

Paucis his verbis Procopius totam legem succedendi distincte exposuit.

Primo *jus* succedendi circumscribitur his verbis: „ὃς ἂν ἐκ γόνου ἄῤῥενος αὐτῷ Γιζερίχῳ κατὰ γένος προσήκων.“ Is so-

lus igitur, „qui generis masculini ad Gensericum ipsum quo stirpem pertinet“, capax est successionis. *Jure* successioni ita circumscripto, sequentibus verbis *ordo* succedendi constituitur: „πρῶτος ὢν ἁπάντων τῶν αὐτοῦ ξυγγενῶν τὴν ἡλικία τύχοι.“ Ex *omnibus* igitur masculis, qui ex Genserici gene descendunt, is solus hac lege vocatur ad regnum, qui aeta primus est, „πρῶτος τὴν ἡλικίαν τύχοι.“ Neque linea neq gradus hic respicitur, sed solum aetas. Si *plures* igitur n potes regis defuncti ex pluribus filiis adsunt, non quaeritu qui ex filio majore descendit, sed etiam ex minimo filio n pos vocari potest, si omnes alios nepotes annis superat. H de caussa *Victor Vitensis* episcopus, gravissimus auctor i omnibus rebus Vandalicis, in opere de persecutione Vandal rum L. II. §. 5, vindicat nepoti alicui Genserici ex *juniori* ej filio, successionem, quamquam ex Hunerico, maximo Genseri filio, aderat nepos Hildericus, his verbis:

„Occiditur ille filius (Theoderici, junioris filii Genseric *cui secundum constitutionem Genserici, eo quod major omn bus esset, regnum inter nepotes potissimum debebatur.*“

Praeceperat Gensericus, ut semper qui e suis posteris pr mus omnium esset aetate, regnum obtineret, exclusis eti ejus, qui antea regnavisset, filiis, si aliquos haberent agnat seniores. Neque contrarium aliquid conjiciendum est ex Jo nandis verbis:

„(Gensericus) ante obitum suum filiorum agmen accitu ordinavit, ne inter ipsos de regni ambitione esset dissens *sed ordine quisque et gradu suo, qui aliis superviver id est seniori suo fieret sequens successor et rursus ei p sterior ejus.*“ Jorn. de reb. Get. cap. 33.

Nemo in his verbis primogeniturae principium inveni potest, monendum autem est, ne quis opinetur, majorat hodierno sensu praeceptum esse a Genserico, quia Jornand „*de gradu*“ loquitur. Non enim utitur autor hac voce st cto juris sensu, sed sensu prolixiori, quo hac voce nih

nisi certum locum in agnatorum serie insignire vult. Quod ex sequentibus ejusdem scriptoris verbis satis apparet, quibus ipse senioratus ordinem strictissime describit: „qui aliis superviveret seniori suo fieret sequens successor et rursus ei posterior ejus."

Ob eam etiam caussam Genserici constitutio majoratus interpretationem non admittit, quia in majoratu filius, qui semper patri gradu proximus est, omnes agnatos, quamvis aetate majores, excludit. Contrariam autem regulam ex Genserici constitutione valuisse, historia docet. Hunericum enim regem non Hildericus filius, sed Gunthamundus, agnatus gradu remotior, annis autem major, ex Genserici constitutione secutus est, quod nullo modo ex majoratus, sed ex senioratus principiis repeti potest.

§. 8.

DE CAUSSIS, QUIBUS COMMOTUS GENSERICUS HUNC SUCCEDENDI ORDINEM INTRODUXERIT.

Cum nos hodie in omnibus regnis ac principatibus primogeniturarn, tamquam optimam succedendi normam, introductam videamus, quaerimus, cur Gensericus non hanc succedendi rationem, sed senioratum in familia sua stabiliverit? Etsi primo aspectu hoc Genserici praeceptum mirum videtur, tamen accuratius inquirentes facile caussas intelligimus, cur magnus Vandalorum rex alium succedendi ordinem constituere neque voluerit neque potuerit:

1) Antiquissimis temporibus, quibus populus in eligendo rege multum valebat, praeferebatur haud raro strenuus atque fortis ultimi regis frater filiis ejus impuberibus. Istud igitur senioratus principium, quo filius non semper patrem sequitur, ab hodiernis succedendi principiis vehementer abhorrens, magis consentaneum erat antiquorum Germanorum moribus. *Maximi est momenti, quod Gensericus ipse ex eodem*

principio ad regnum pervenerat. Gunderico enim fratri successerat Gensericus, quamquam ille plures filios reliquerat. Suam ipsius igitur successionem Gensericus constitutione sua postmodum legitimam declaravit atque ratum habuit, quod ipse regnum acceperat exclusis fratris defuncti filiis.

2) Si Gensericus talem legem, qua individuam regni naturam constituerat, non promulgasset, sine dubio *omnes* ejus filii, ut filii Chlodovaei, portionem regni accepissent. *Privabantur* igitur quodammodo juniores filii, salutis publicae caussa, successione, quae filio maximo soli addicebatur. Quamobrem lex successionis ita instituenda erat, ut aliqua succedendi spes postgenitis remaneret, ne exclusio iis nimis dura videretur. Primogenitura autem introducta, numquam postgenitus filius vel a postgenito oriundus ad successionem admittitur, quamdiu antegenitus vel ab antegenito oriundus adest. Non solum filius maximus ipse, sed etiam ejus linea in infinitum excludit juniores fratres, quibus tantum spes succedendi valde remota relinquitur. Contra senioratus *post* filium primogenitum mortuum non vocat ad successionem primogeniti lineam, sed eum, qui tum annis maximus est, verisimiliter igitur fratrem sequentem regis defuncti. Cum igitur introducto senioratu multo major spes succedendi fratribus junioribus relinquatur, conditori legis successoriae certius sperare licet fore, ut post suam mortem postgeniti tali successionis legi se subjiciant, quae fratri primogenito concedit praerogativam *mere personalem.* Multa igitur exempla exstant in historia familiarum illustrium, quibus legis successoriae conditor (qui *primus* successionem, quam vocamus, *individualem* omnibus divisionibus vetitis, praescribit) praefert primogeniturae senioratum, quippe qui magis parcat spei ac desiderii postgenitorum [71].

3) Sine dubio primogenitura optima in regnorum successione norma est, quae immutabilem ac certam constituit agnatorum seriem atque maximam successionis praebet secu

tatem. Sed cum ad inveniendam et introducendam primogenituram excultior juris cognitio requireretur, sero atque post varios casus denique ad hanc consequentem succedendi rationem familiae illustres pervenerunt. *Summum enim primogeniturae principium continetur jure repraesentationis infinito*, ita ut descendentes maxime remoti semper succedant in locum genitoris defuncti [72]. Multo magis igitur in primogenitura extenditur *jus repraesentationis*, quam in jure civili. Sed ab antiquorum Germanorum cogitandi ratione principium repraesentationis tam abhorruit, ut ab initio ne nepotes quidem ex filio defuncto admitterentur cum patruo in avi hereditatem [73]. Deficiente igitur hoc repraesentationis principio, nullo modo fieri potuit, ut illis Genserici temporibus aliquis rex Germanorum introduceret primogenituram linealem, cujus introductio jam subtiliorem cogitandi rationem efflagitaret. Simplex autem ac rudis succedendi forma, quam senioratum vocamus, facillime se offert, nec ulla subtiliora juris principia in se continet, cum neque gradus, neque lineae in senioratu ratio habeatur. Quam ob rem apud multos populos minus excultos [74] haec succedendi forma — multis modis imperfecta nec saluti publicae satis conveniens — tamen facillima intellectu invenitur. Ita etiam apud *Mauros*, qui in Africa degebant, eadem ratio succedendi, ex qua frater filio regis defuncti praefertur, observabatur, Livio teste L. XXIX. c. 29:

„Militante eo (Masinissa) pro Carthaginiensibus in Hispania, pater ejus moritur: (Galbae nomen erat) regnum ad fratrem regis Defalcen, *mos ita apud Numidas est*, pervenit.“

Cum Vandali cum Mauris multis modis se conjunxissent, quaeri potest, num Gensericus, in ordine senioratus instituendo, fortasse Maurorum exemplum ex aliqua parte imitatus sit? Verisimilius tamen mihi videtur: Gensericum simplici senioratus natura ac genuinis Germanorum moribus inductum, non au-

tem gentium alienarum et inferiorum imitatione, hanc form
succedendi posteris suis ac populo Vandalorum praescripsi

---

§. 9.

DE POSTGENITORUM STATU SECUNDUM GENSERICI CONSTITUTIONEM.

Constitutionis verba, quatenus nobis a scriptoribus tradi sunt, de filiis postgenitis eorumque descendentibus nihil d serte praescribunt. Ubi autem, successione quam vocant *indi viduali* introducta, unus ex filiis tantum ad regnum perven necesse est, *ut prospiciatur minoribus*, qui a regni succe sione sunt exclusi[75]. Sic etiam Gensericus bene prospexit *ju nioribus* filiis, non quidem apanagio, quod in pecunia num rata hodie consistere solet, sed ditissimis latifundiis, quib *omnes* filios teste Procopio, de bell. Vand. I, 5, aeque do navit:

„τῶν δὲ Λιβύων εἴ τι μὲν δόκιμον ἐτύγχανεν ὂν καὶ πλούτῳ ἀκμάζον, αὐτοῖς ἀγροῖς τε καὶ πᾶσι χρήμασιν ἐν ἀνδραπόδων μοίρᾳ παρέδωκε τοῖς παισὶν Ὁνωρίχῳ τε καὶ Γένζωνι."

Dedit igitur rex magna latifundia provincialium utriqu filio Hunerico regni successori atque Genzoni postgenito, qu constitutione patris a regno exclusus erat. Haec latifundia re gis filiis ita dabantur, ut ad eorum *heredes* transirent. Eo dem enim jure gaudebant, quo omnes Vandali in sortibu suis utebantur, quae hereditario jure, „funiculo hereditatis" concessae erant. Proc. I, cap. 5. Victor Vitensis I, cap. 4. S non solum filiis ipsis junioribus, sed etiam eorum descende tibus bene prospectum erat. Quod etiam ex Procopii verbi argumento e contrario, concludi potest, qui dicit: *duos* fili tantum accepisse latifundia, quia Theodorus tertius, nullis h redibus relictis, neque masculis, neque femininis, mortuus fui set: „Θεόδωρος γὰρ ὁ νεώτατος ἐτελεύτα ἤδη, ἄπαις τὸ πα παν ἄῤῥενός τε καὶ θήλεος γόνου." Si vero illo tempore h

redes ex Theodoro, filio natu minimo, superstites fuissent, Procopii sententia, etiam hi descendentes relicti, tanquam regii sanguinis participes, latifundia a rege accipere debuissent, ut dignitati innatae, convenienter vivere possent.

Etiam hac ratione postgenitis prospectum est, ut rex fratres juniores ac propinquos summis militaribus dignitatibus ornaret. Sic Hilderico rege Oamer, Gelimere rege Tzazon, Ammatas atque Gibamund, regiae familiae propinqui, Vandalorum exercitus ducebant. Nec postgeniti eodem loco se habebant cum fratre natu maximo ac regente, sed subjectionem suam etiam devota reverentia significabant. Sic Tzazon Gelimerem fratrem ac regem suum humillime alloquitur: „ὦ Βανδίλων τε καὶ Ἀλανῶν βασιλεῦ." Proc. de bello Vand. I, 24.

Non solum rex, sed etiam omnes ejus filii suos cultus principales habuerunt suamque ipsorum aulam, cui ministri aulici praepositi erant. Rex autem jus filiorum aulas praeceptis suis ordinandi sibi vindicavit [76].

Omnes regiae familiae propinqui a Procopio „ἀνεψιοὶ" vocantur, cujus nominis generalis est significatio (ut nostri verbi „*Vetter*"), nec certum gradum propinquitatis designat.

§. 10.
IN QUANTUM GENSERICI CONSTITUTIO IN SINGULORUM REGUM SUCCESSIONIBUS OBSERVATA FUERIT.

Caussis ac principiis hujus legis successoriae accuratius enucleatis, nunc jam inquirendum est, quomodo Genserici constitutio in quovis successionis casu observata sit? Quod igitur ad singulorum regum adtinet successionem, per ordinem nunc tractabimus.

I. Hunericus 476—484.

Gensericus regnum, secundum constitutionem suam, Hunerico, filio natu maximo reliquit: „Ὀνώριχος δὲ ὁ τῶν ἐκείνου

παίδων πρεσβύτατος, διεδέξατο τὴν ἀρχήν [77]. Hunericus filium habuit Hildericum ex Eudocia uxore, filia Valentiniani imperatoris. Proc. de bell. Vand. I, 5. Cum autem ex Genserici lege non Hildericus filius, sed is inter omnes agnatos, qui aetate maximus esset, ad regnum vocaretur: Hunericus, ut regnum ad filium suum transferre posset, constitutionem Genserici perfringere tentavit, quam tamen legem fundamentalem summa pietate omnes Vandali observari voluerunt.

Victor Vitensis episcopus, qui Hunerico rege vixit, in opere de persecutione Vandalorum II, 5 Hunerici conatum contra Genserici legem ita describit:

„Ipse autem (Hunericus) desiderans post obitum suum filiis, quod non contigit, regnum statuere: Theodericum fratrem filiosque ejus Gentonisque fratris nihilominus filios crudeliter coepit insequi. Quorum nullum dimitteret, nisi ei mors desiderii sui voluntatem auferret. Primo sciens uxorem Theoderici fratris astutam, credo, ne forte maritum aut majorem filium, quia prudens et sapiens videbatur, consiliis acrioribus adversus tyrannum armaret, crimine imposito, gladio eam interfici jubet. Postquam occiditur et ille filius magnus litteris institutus, *cui secundum constitutionem Genserici eo quod major omnibus esset, regnum inter nepotes potissimum debebatur*. — — — — Tunc et Gentonis *majorem* filium, nomine Godagis, cum uxore absque solatio servi aut ancillae crudeli exsilio delegavit. Fratrem vero Theodericum, post occisionem uxoris et filii, nudum atque destitutum similiter relegavit. Post cujus mortem filium, qui supererat, infantulum duasque filias ejus adultas, impositas asinis, longius affligendo projecit.“

Ita Hunericus ea intentione contra *propinquos* saeviebat, ut filio suo viam ad regnum patefaceret. Sed etiam timebat, ne *populi sui primores* legem fundamentalem defensuri essent. Praecepit igitur, ut combureretur summus episcopus Arianae Vandalicae ecclesiae, Jocundus patriarcha, quia rex opi-

nabatur, hunc sacerdotem ante omnes patriae legis custodem ac legitimi heredis defensorem extiturum[78]: „ob hoc quod Jocundus in domo Theoderici germani regis (legitimi successoris) acceptissimus habebatur, cujus forte suffragio memorata domus (frater Theodericus ipse aut ejus filius natu maximus) regnum poterat obtinere,“ Victor Vit. II, 5. Eandem ob caussam Hunericus etiam summum civilem juris patrii ac legum custodem, Heldicum senem, Genserici olim cancellarium sive regni praepositum, atque comites quamplurimos et nobiles gentis suae, qui successori legitimo adhaerebant, de medio sustulit „ob hoc quod germano suo faverent.“ Diversis poenis et incendiis trucidavit Hunericus „multos, quos ei Gensericus pater moriens, sacramento interposito, commendaverat, immemor fidei et sacramenti violator,“ Vict. Vit. II, 5. Fortasse etiam hos Gensericus nominaverat, ut constitutionis fundamentalis ac legitimae successionis post mortem suam fierent defensores. Catholicos autem episcopos, quos antea crudelissime persecutus erat, Hunericus nunc inducere voluit, ut post mortem suam Hildericum filium agnoscerent:

„Jurate (ita episcopos alloquitur regis procurator) *si post obitum domini nostri regis*, *ejus filium Hilderich desideretis esse regem* — — quia si sacramentum hujus rei dederitis, restituet vos ecclesiis vestris,“ Vict. Vit. IV, 4.

Cum omnes *proprii* populi primores illegitimis regis desideriis tam strenue se opponerent, Hunericus *catholicos* episcopos sibi inimicissimos in suas partes trahere studuit. Sed etiam inter hos non multos usurpationis adjutores invenisse videtur. Iis enim episcopis catholicis, qui non jurabant, regii procuratores dicebant: „Quia regnum filii domini nostri non optatis, idcirco jurare noluistis,“ Vict. Vit. IV, 5.

Quamquam Hunericus a nullo facinore abhorruit, ut regnum ad filium transferret, tamen Genserici constitutio a Vandalis tanta pietate observabatur, ut Hunericus id, quod sibi proposuit, nequaquam assequi posset.

II. Gunthamundus 484—496.

Extincto Hunerico, Gunthamundus Vandalorum imperium adeptus est. Regnum autem obtinuit *prae* Hilderico ultimi regis filio, quod ex omnibus Genserici descendentibus natu maximus esset. Quod successionis principium accuratissime Procopius de bell. Vand. I, 8 describit:

„Τελευτήσαντος δὲ Ὀνωρίχου τὸ τῶν Βανδίλων κράτος ἐς Γουνδαμοῦνδον ἦλθε τὸν Γένζωνος, τοῦ Γιζερίχου. ἐς αὐτὸν γὰρ ὁ χρόνος ἔφερε τὰ πρωτεῖα τοῦ Γιζερίχου γένους (in eum enim *aetas* transferebat principatum sive primum locum in Genserici genere)."

Rectissime Procopius intelligit, in hac succedendi ratione neque graduum, neque lineae, sed solum aetatis praerogativam valere, ita ut in agnatum maxime natum semper transferretur regnum.

III. Thrasamundus 496—523.

Gunthamundus, implicitus morbo, e vita discessit. Habenas rerum capessiit Thrasamundus, frater ipsius, qui maximus natu regi defuncto in imperio successit. Proc. I, 8.

IV. Hildericus 523—530.

Hilderici successio docet, quam stricte Genserici constitutio semper observata sit a Vandalorum populo. Hildericus, Hunerici filius ac Genserici nepos, Hunerico patri non successerat, sed ab utroque patruo exclusus fuerat. His autem mortuis, jam ipse maximus natu in regia familia erat ac Genserici lege ad regnum vocabatur. Quamquam Hildericus, arctissimo amicitiae vinculo junctus Justiniano, Byzantinis nimis favebat ac valde imbecillis erat, tamen Vandali Genserici constitutioni adhaerebant tam tenaciter, ut etiam talis hominis successionem admitterent.

V. Gelimer 530—534.

„Ἦν δέ τις ἐν τῷ Γιζερίχου γένει Γελίμερ, ὁ Γελάριδος τοῦ Γένζωνος τοῦ Γιζερίχου, πόρρω που ἡλικίας ἥκων μετὰ Ἰλδέριχον, καὶ διὰ τοῦτο ἐπίδοξός τε ὢν αὐτίκα μάλα ἐς τὴν βασιλεία

ἀφίξεσθαι· ὃς τὰ μὲν πολέμια ἐδόκει τῶν καθ' ἑαυτὸν ἄριστος εἶναι, ἄλλως δὲ δεινός τε ἦν καὶ κακοήθης καὶ πράγμασί τε νεωτέροις καὶ χρήμασιν ἐπιτίθεσθαι ἀλλοτρίοις ἐξεπιστάμενος. οὗτος ὁ Γελίμερ ἐπεί οἱ μέλλουσαν ἑώρα τὴν ἀρχὴν, οὐκ ἐδύνατο ἐν τῷ καθεστῶτι τρόπῳ βιοτεύειν, ἀλλὰ τὰ βασιλέως ἔργα προσποιησάμενος ἐπεβάτευε τῆς τιμῆς, ἀώρου γε αὐτῷ οὔσης, καὶ Ἰλδερίχου δι' ἐπιείκειαν ἐνδιδόντος κατέχειν οὐκέτι οἷός τε ἦν τὴν διάνοιαν, ἀλλὰ Βανδίλων ἑταιρισάμενος εἴ τι ἄριστον ἦν ἀναπείθει ἀφελέσθαι μὲν Ἰλδέριχον τὴν βασιλείαν, ὡς ἀπόλεμόν τε καὶ ἡσσημένον πρὸς Μαυρουσίων, καὶ Ἰουστίνῳ βασιλεῖ καταπροδιδόντα τὸ τῶν Βανδίλων κράτος, ὡς μὴ ἐς αὐτὸν ἐκ τῆς ἄλλης οἰκίας ὄντα ἡ βασιλεία ἥκοι (τοῦτο γάρ οἱ βούλεσθαι τὴν ἐς Βυζάντιον πρεσβείαν διέβαλλεν), αὐτῷ δὲ παραδιδόναι τὸ Βανδίλων κράτος. οἱ δὲ ἀναπεισθέντες κατὰ ταῦτα ἐποίουν. οὕτω δὴ Γελίμερ τῆς ἡγεμονίας ἐπιλαβόμενος Ἰλδέριχόν τε, ἕβδομον ἔτος Βανδίλων ἄρξαντα, καὶ Ὁάμερα καὶ τὸν ἀδελφὸν Εὐαγέην ἐν φυλακῇ ἔσχεν." **Proc. de bell. Vand. I, 9.**

Etiam haec Procopii verba bene illustrant principia successionis, quae in regno Vandalorum valuerunt.

Gelimer ab omnibus Vandalis habebatur pro regni successore legitimo indubitato: „ἐπίδοξός τε ὢν αὐτίκα μάλα ἐς τὴν βασιλείαν ἀφίξεσθαι." **Caussa autem, cur Gelimer pro regni herede ducebatur legitimo, erat ab omnibus uno consensu agnita:** „πόρρω που ἡλικίας ἥκων μετὰ Ἰλδέριχον," **(quia veniebat aetate *post* Hildericum). Nullus Vandalus dubitavit, quin Gelimer eodem momento, quo Hildericus extremum halitum efflavisset, ipso jure factus esset rex suus legitimus. Sed Gelimer ipse expectare noluit mortem regis grandaevi eumque vivum regno expulit. Haec ante diem occupatio regni haud immerito *pro injusta usurpatione* habebatur, quae violaret Genserici legem fundamentalem [79].**

Etiam Jornandes cap. 33 hanc usurpationem vituperat:

„Primus Gensericus, qui pater et dominus, sequens Hunericus, tertius Gunthamundus, quartus Thrasamundus, quin-

tus Hildericus. Quo, malo gentis suae, Gelimer, *immemor atavi praeceptorum*, de regno ejecto et interempto, *tyrannidem praesumpsit*. Sed non ei cessit impune, quod fecerat. Nam Justiniani imperatoris ultio in eo apparuit.“

Quo modo Justinianus legitimi regis defensor atque ultor extiterit, sequenti paragrapho exponemus.

---

§. 11.

CONTROVERSIA INTER JUSTINIANUM ET GELIMEREM.

Justinianus non solum in imperio suo gaudet condendis et colligendis legibus, sed etiam in exteris negotiis tractandis semper jurisconsulti speciem prae se fert. Denuntiationes belli conjungere solet cum deductionibus, quibus exponuntur caussae ac rationes agendi ex jurisconsultorum more. Ita etiam cum Gelimere ac Vandalis egit. Omnes actiones, quae ad bellum Vandalicum adtinent, traditae sunt a Procopio, auctore gravissimo, qui omnibus his rebus ipse interfuit, Belisarii consiliarius „ξύμβουλος“ in Africano bello.

Justinianus de usurpatione Gelimeris certior factus, legatos in Africam ad Gelimerem cum hisce litteris misit:

„Οὐχ ὅσια ποιεῖς οὐδὲ τῶν Γιζερίχου διαθηκῶν ἄξια, γέροντά τε καὶ ξυγγενῆ καὶ βασιλέα Βανδίλων, εἴ τι τῶν Γιζερίχῳ βεβουλευμένων ὄφελός ἐστιν, ἐν φυλακῇ ἔχων, καὶ βίᾳ τὴν ἀρχὴν ἀφαιρούμενος, ἐξὸν αὐτὴν ὀλίγῳ ὕστερον χρόνῳ κατὰ νόμον λαβεῖν. μηδὲν οὖν ἐργάσῃ περαιτέρω κακὸν μηδὲ τοῦ βασιλέως ὀνόματος ἀνταλλάξῃ τὴν τοῦ τυράννου προσηγορίαν, βραχεῖ προτερεύουσαν χρόνῳ. ἀλλὰ τοῦτον μὲν, ἄνδρα ὅσον οὔπω τεθνηξόμενον, ἔα φέρεσθαι τῷ λόγῳ τὴν τῆς βασιλείας εἰκόνα, σὺ δὲ ἅπαντα πρᾶττε ὅσα βασιλέα πράττειν εἰκός· προσδέχου τε ἀπὸ τοῦ χρόνου καὶ τοῦ Γιζερίχου νόμου μόνον λαβεῖν τὸ τοῦ πράγματος ὄνομα. ταῦτα γάρ σοι ποιοῦντι τά τε ἀπὸ τοῦ κρείττονος εὐμενῆ ἔσται καὶ τὰ παρ' ἡμῶν φίλια. Proc. de bell. Vand. I, 9.

Haec Justiniani subtilis deductio maximi momenti est ad

cognoscendam Genserici legem successoriam, cujus defensionem imperator quodammodo in se susceperat.

Quod in his litteris ad eam in quam inquirimus caussam adtinet, breviter complectimur:

1) Genserici dispositio, in testamenti forma relicta, etiam ab Justiniano pro *lege fundamentali* regni Vandalici habetur. Secundum hanc solam legem successio in regnum dijudicanda est. Haec constitutio uno omnium consensu tam firme agnita est, ut ipse princeps extraneus eam, tamquam totius regni fundamentum, bene noverit.

2) Qui *contra* hanc legem potestatem sibi arrogat, non pro vero rege, sed pro *usurpatore* seu tyranno est habendus: „βίᾳ τὴν ἀρχὴν ἀφαιρούμενος ἐξὸν αὐτὴν —— κατὰ νόμον λαβεῖν —— μηδὲ τοῦ βασιλέως ὀνόματος ἀνταλλάξῃ τὴν τοῦ τυράννου προσηγορίαν." Qui hanc legem evertit, jus divinum atque humanum laedit („οὐχ ὅσια ποιεῖς"), quia pia reverentia proauctoris praeceptis debetur.

3) Quod adtinet ad *jus* succedendi, heres regni ad successionem vocatur ex pacto et providentia majorum i. e. ex Genserici beneficio. Non ab ultimo defuncto, sed ab Genserico, conditore ac primo acquirente, derivatur omne jus succedendi: „προσδέχου ἀπὸ τοῦ Γιζερίχου νόμου λαβεῖν...."

4) Quod adtinet ad *ordinem* succedendi, etiam Justinianus in Genserici constitutione *senioratum* praescriptum esse censet. Nam ex imperatoris sententia neque lineae neque gradus, sed solum *aetatis* ratio habenda est, qua quidem in re natura senioratus consistit. „Expecta, Gelimeri scribit imperator, dum *aetatis beneficio*, quod unum tibi deest, regium nomen accipias: „προσδέχου ἀπὸ τοῦ χρόνου."

Cum hae litterae Gelimerem non moverent, Justinianus eum jam acrius perstrinxit, ut legitimum regem in libertatem restitueret, quem in vinculis tenebat. „Nec nobis obstabit, scribit imperator, pax cum Genserico composita, nam ejus legitimo successori non inferemus bellum, sed illatam injuriam ulciscemur."

Non immemor est Justinianus pacis *sempiternae*, quam a. 475 Zeno cum Genserico confecerat, sed imperator subtiliter exponit, bellum contra Gelimerem huic paci sempiternae non contrarium esse, nam se non bellum illaturum esse legitimo successori Genserici ac Vandalorum populo, sed usurpatori ac tyranno, ut Vandalis legitimum regem restitueret.

Gelimer responso suo se purgare conatur ab usurpationis opprobrio:

„οὔτε βίᾳ τὴν ἀρχὴν ἔλαβον οὔτε τι ἀνόσιον ἐς ξυγγενεῖς τοὺς ἐμοὺς εἴργασται. Ἰλδέριχον γὰρ νεώτερα πράσσοντα ἐς οἶκον τὸν Γιζερίχου καθεῖλε τὸ τῶν Βανδίλων ἔθνος· ἐμὲ δὲ ὁ χρόνος ἐς τὴν βασιλείαν ἐκάλεσε, κατά γε τὸν νόμον τὰ πρεσβεῖα διδούς."

Agnoscit Gelimer ipse justum titulum Hilderici, qui natu maximus ex omnibus, vocatus ad regnum erat lege Genserici, sed vindicat usurpator populo Vandalorum jus *removendi* regem inutilem. Sed nullo modo consentiebat mos, quo olim Germanorum populi reges imbelles et inutiles ab regno removere [80]) ac fortiorem regem sibi eligere solebant, cum Genserici constitutione, qua regnum Vandalorum, abolita electione populi, mere hereditarium factum erat. Hac de caussa Gelimer usurpationis opprobrio se purgare nequivit.

Justinianus eadem fictione, qua non regno Vandalorum, sed usurpatori tantum bellum infert, utitur in litteris, quibus Vandalos alloquitur:

„Οὔτε Βανδίλοις πολεμεῖν ἔγνωμεν, οὔτε τὰς Γιζερίχου σπονδὰς λύομεν, ἀλλὰ τὸν ὑμέτερον τύραννον καθελεῖν ἐγχειροῦμεν, ὃς τῶν Γιζερίχου διαθηκῶν ὀλιγωρήσας τὸν μὲν βασιλέα ὑμῶν καθείρξας τηρεῖ..... ξυλλάβεσθε τοίνυν ἡμῖν καὶ ξυνελευθεροῦτε ὑμᾶς αὐτοὺς οὕτω μοχθηρᾶς τυραννίδος, ὅπως ἂν δύνησθε τῆς τε εἰρήνης καὶ τῆς ἐλευθερίας ἀπόνασθαι." Proc. de bello Vand. I, 16.

Ita Justinianus ipse, qui Genserici testamento tantam vindicat auctoritatem, hujus legis successoriae praeclarissimus interpres est.

§. 12.

DE VI ATQUE EFFECTU CONSTITUTIONIS GENSERICI.

Jornandes hanc de hujus legis vi atque effectu sententiam profert:

„Quod (Genserici praeceptum) observantes per annorum multorum spatia, regnum feliciter possedere, nec quod in reliquis gentibus adsolet, intestino bello foedati sunt suoque ordine unus post unum suscipiens regnum, in pace populis imperarunt.“ Jorn. c. 33.

Recte quidem Jornandes judicat, Genserici constitutionem multum contulisse ad conservandum Vandalorum regnum. Gensericus enim eam promulgavit bene intelligens, primum juris publici monarchici fundamentum esse certam succedendi normam in regia familia, sine qua regnum, in quovis successionis casu, dissensionibus inter regiae familiae socios ac bello civili obnoxium esset.

Cum barbarus ille rex talem legem posteris suis et Vandalorum populo praescripserit, quaerere nobis licet, cur nullus imperator Romanus, ne Constantinus Magnus quidem, qui imperio Romano nova fundamenta jacere studebat, umquam conatus sit, ordinem succedendi in imperio suo, lege in perpetuum valitura aut statuto gentilicio, stabilire? Justinianus ipse, qui novellis jus succedendi *privatorum* tam accurate excoluit, qui optime novit Genserici legem successoriam, qui admonuit Gelimerem, ne violaret proauctoris statutum gentilicium, tamen numquam Genserici exemplum imitari ac simili ratione in suo imperio successionem ordinare cogitavit. Sed quod e nostra Germanica cogitandi ratione mirum videtur, id ex Romani imperii natura facile intelligitur.

Romani, quorum ingenium in excolendo privato jure admiramur, antiqua libertate perdita, unius voluntati et arbitrio subjecti, e senilium populorum ratione novam civitatis formam invenire non poterant. Imperium eorum reipublicae speciem pri-

mordio retinebat, postea ad orientalis monarchiae formam proxime accedebat. Germani denique, simulac in ruinis imperii Romani nova regna condiderunt, novam formam civitatis *monarchiam in regia familia hereditariam atque certis legibus circumscriptam* introduxerunt. Utrumque momentum deerat imperio Romano.

Imperatori quidem licebat designare sibi successorem [81], qui ejus filius aut verus aut adoptivus esse solebat; sed verum jus hereditarium, quod omnibus primi acquirentis descendentibus innatum, nullo arbitrio adimi potest, familiae imperatoriae nequaquam competebat. Arctissima juris publici monarchici cum jure hereditario regiae familiae consociatio principium est vere Germanicum.

Nec monarchia cum populi libertate conjuncta, certis legibus circumscripta, e senili Romanorum et Byzantinorum ingenio nasci poterat. Arbitrio imperatoris ejusque voluntate, nulla lege circumscripta, summa totius juris publici continebatur. Quid lex successoria in tali imperio efficere potuisset, quo imperatori legibus soluto, omnes antecessorum leges perfringere ac totum reipublicae statum ad suum libitum mutare licebat [82]? Ubi erat in tali civitate populus, patriae constitutioni ac regiae familiae fideliter addictus, ubi custos legum constans sibi ac firmus, qui regni constitutionem atque jura agnatorum defendere potuisset contra principis ipsius arbitrariam voluntatem atque effrenatam libidinem cohortis praetorianae [83]?

Germanicae igitur monarchiae genuina indole inductus, Gensericus barbarus rex suam constitutionem promulgavit, quae profundiorem veri juris publici monarchici intellectum prodit, quam Justiniani omniumque imperatorum legislatio.

Quamquam re vera hac constitutione de populo suo bene meruit Gensericus, qui primus inter omnes Germanorum reges individuam regni naturam lege sanxit, tamen *ordo succedendi ex ratione senioratus*, quem praecepit, magno vitio labo-

rat. Laeditur enim hoc succedendi ordine *animus paternus* ejus, qui regiam potestatem, quam ipse tenet, in filium transferre prohibetur. Nonne Hunericus in populum ac propinquos saeviebat, ut coronam filio relinqueret, quae ex Genserici constitutione non filio Hilderico, sed fratri Gunthamundo competebat? Quanta pericula ex hoc conatu Hunerici illegitimo ad populum Vandalorum redundaverint, supra exposuimus.

Unica succedendi ratio ex omni parte perfecta est *primogenitura*, quae successionem in infinitum de patre ad filium praescribit, certam agnatorum seriem constituit nec umquam in incerto relinquit heredem legitime vocatum. Multis periculis factis ac longa saeculorum experientia demum familiae illustres optimam hanc succedendi rationem adoptabant, quae nunc in omnibus regnis ac principatibus firmissima est successionis norma.

Notae.

1. Auctoritate *Jacobi Grimmii* hanc nominis formam recepi. Geschichte der deutschen Sprache I. p. 477: „Γιζέριχος heisst bei Victor Vitensis *Geisericus*, bei Idatius *Gaisericus*, besser bei Jornandes *Genzericus*, und auch Marcellinus Comes, Prosper und Sigibert haben *Gensericus*, was durch den namen seines sohnes Γένζων sicherheit empfängt; sie bedeuten nichts anders als anser ahd. kans und nach der analogie von ans goth. gans. das alterthum wählte sich namen von muthigen thieren und wiederholte im sohn den des vaters."

2. Tac. Germ. 7: Nec regibus infinita ac libera potestas. Cap. 43: Trans Lygios Gothones regnantur, paulo jam adductius, nondum tamen supra libertatem. Ann. XIII, 54: regebant, in quantum Germani regnantur.

3. Tac. Germ. c. 12: *Eliguntur* in iisdem conciliis et principes. c. 22: „de *adsciscendis* principibus consultant."

4. De primis regiae potestatis vestigiis apud Germanos videas *H. v. Sybel*, Entstehung des deutschen Königthumes, 1844. *F. M. Wittmann*, das altgermanische Königthum, 1854. Optime inter omnes de regia potestate disserit *Georg Waitzius*, Deutsche Verfassungsgesch. I, p. 155—177. II, p. 87—146. Das alte Recht der salischen Franken, p. 203—214. *M. A. v. Bethmann-Hollweg*, die Germanen vor der Völkerwanderung, 1850, p. 52—59.

5. Jorn. de rebus Geticis cap. 33: Berimundus, Thorismundo patre genitus, de quo in catalogo Amalorum familiae superius diximus — — conscius erat virtutis et generis nobilitatis, facilius sibi credens principatum a parentibus deferri, quem *heredem regum constabat esse multorum*."

6. *Hermann Schulze*, das Recht der Erstgeburt in den deutschen Fürstenhäusern, 1851, p. 15—47. *Jacob Grimm*, Rechtsalterthümer p. 231. *G. Philipps*, über Erb- und Wahlrecht, 1836.

7. *Manso*, Geschichte des ostgothischen Reichs p. 11. *K. Maurer*, über das Wesen des ältesten Adels, p. 55. Jorn. de rebus Get. cap. 13: „jam proceres suos, quasi qui fortuna vincebant, non puros homines, sed semideos i. e. Anses vocaverunt." Genealogiam Amalorum exhibet Jornandes cap. 14.

8. Jorn. eod. loc. c. 52: „(Ostrogothi) qui in Pannonia sub rege Walemir, ejusque germanis Theodemir et Widemir morabantur, quamvis divisa loca, consilia tamen habuere unita." Tamen principatum quendam et regium nomen primogenitus obtinuisse videtur c. 48.

9. Jorn. cap. 56: „*Vocatis Gothis* Theodericum filium regni sui designat heredem."

10. Cassiod. Var. VIII, 2: „Athalaricus rex Senatui. Quomodo quaevis claritas generis Amalis cedit et sicut, qui ex vobis nascitur origo

senatoria nuncupatur, *ita qui ex hac familia progreditur, regno dignissimus approbatur.*“ Sed cum ipse sentiat, jus suum hereditarium egere electione populi, Gothos suos admonet, ut ipsum eligerent, quomodo eorum majores olim avum Theodericum elegissent: „Cujus ordinationi ita cunctorum vota sunt sociata, ut unum crederes promittere, quod generalitas videbatur optare. Hoc vos sequentes exemplum, peragite“ etc. Cassiod. VIII, 5.

11. Jornand. de regn. successione. Marcellini chronicon (Roncallius II, p. 322): „Quo tempore Theodatus rex Gothorum Amalasuntham reginam *creatricem suam* (i. e. quae eum regem creavit) de regno pulsam occidit.“

12. Jorn. cap. 60. Procop. de bello Gothico I, cap. 11: Γότθοι Οὐιτίγιν βασιλέα εἵλοντο ἄνδρα οἰκίας οὐκ ἐπιφανοῦς ὄντα etc.

13. Jorn. de rebus Get. cap. 29. Jorn. cap. 5. „Gothi divisi per familias, Visigothi familiae Baltharum, Ostrogothi praeclaris Amalis serviebant.“

14. Thorismundus, Theodericus II, Euricus, Alaricus II, Gesalicus. *Aschbach*, Geschichte der Westgothen p. 113. p. 258.

15. *Georg Waitz* II, p. 37. Gregor. II, cap. 9. Gesta Franc. cap. 6. Hist. epit. cap. 9.

16. Theophanis chronogr. ed. Classen p. 619: ἔθος γὰρ ἦν αὐτοῖς τὸν κύριον αὐτῶν ἤτοι τὸν ῥῆγα κατὰ γένος ἄρχειν. Fulco in Flodoardi hist. Rem. IV, 5: „quod in omnibus paene gentibus notum fuerit, gentem Francorum reges *ex successione* habere consuevisse.“ Gregorii M. homilia 10: In Persarum Francorumque terra reges *ex genere* prodeunt.

17. Agathias I, 3: παῖδες ἐκ πατέρων τὴν βασιλείαν διαδεχόμενοι. Agath. I, 4: ἐκάλει γε αὐτὸν εἰς τὴν ἡγεμονίαν ὁ πάτριος νόμος. Gregor. VII, 7: „(Mortuo Chilperico) priores quoque de regno Chilperici ad filium ejus, qui erat quatuor mensium, se collegerunt.“

18. Gregor. V. 40: „Ecce mortuis fratribus meis (inquit Chlodovaeus Chilperici filius) ad me restitit *omne* regnum, mihi *universae* Galliae subjicientur imperiumque universum mihi fata largita sunt.“

19. *Löbell*, Gregor von Tours p. 225.

20. Greg. III, 14: „Mundericus igitur, *qui se parentem regium adserebat*, elatus superbia ait: Quid mihi et Theoderico regi? Sic enim mihi solium regni debetur ut illi.“ VII, 27: „Ego regis Chlotacharii sum filius (inquit Gundovaldus) et partem regni de praesenti sum percepturus.“ *Löbell*, p. 227.

21. Sequor in genealogia regum Langobardorum excursum doctum ac sagacem, quem *Otto Abel* adjecit translationi suae Pauli Diaconi (Geschichtschreiber der deutschen Vorzeit 1849). *Johannes Merkel*, Geschichte des Langobardenrechts p. 17.

22. Paul. Diac. I, 14: „Mortuis interea Ibor et Ayone ducibus, nolentes jam ultra Langobardi esse sub ducibus, regem sibi, ad cete-

rarum instar gentium, statuerunt. Regnavit igitur super eos primus Agelmundus, filius Ayonis, *ex prosapia ducens originem Gungingorum, quae apud eos generosior habebatur.*"

23. Tabulas genealogicas regum Langobardorum debemus acumini Ottonis Abel, quae adjectae sunt translationi Pauli Diaconi. (Geschichtschreiber der deutschen Vorzeit.)

24. *Carl Hegel* in libro: Geschichte der Städteverfassung von Italien I. p. 448, breviter, sed ingeniose disserit de regia potestate Langobardorum.

25. *Hermann Schulze*, das Recht der Erstgeburt §. 12 et 13, p. 39—45.

26. Francorum, Anglosaxonum, Scandinavorum, Vandalorum etc. regna.

27. Visigothorum regnum; etiam imperium Romano-germanicum primis temporibus hereditarium-electicum, postea mere electicium factum est. *Hermann Schulze* p. 26—31.

28. *Felix Papencordt*, Geschichte der vandalischen Herrschaft in Africa, 1837. *Louis Marcus*, Histoire des Wandales, 1836. *Caspar Zeuss*, die Deutschen und die Nachbarstämme, 1837, p. 443—455.

29. Procop. de bello Vand. I, 2: Γοτθικὰ ἔθνη πολλὰ μὲν καὶ ἄλλα πρότερόν τε ἦν καὶ τανῦν ἐστι, τὰ δὲ δὴ πάντων μέγιστά τε καὶ ἀξιολογώτατα Γότθοι τέ εἰσι καὶ Βανδίλοι καὶ Οὐισίγοτθοι καὶ Γήπαιδες — — οὗτοι ἅπαντες ὀνόμασι μὲν ἀλλήλων διαφέρουσιν, ὥσπερ εἴρηται, ἄλλῳ δὲ τῶν πάντων οὐδενὶ διαλλάσσουσι — — καὶ νόμοις μὲν τοῖς αὐτοῖς χρῶνται, ὁμοίως δὲ τὰ ἐς τὸν θεὸν αὐτοῖς ἤσκηται. τῆς γὰρ Ἀρείου δόξης εἰσὶν ἅπαντες, φωνή τε αὐτοῖς ἐστι μία Γοτθικὴ λεγομένη . . . . .

30. Plin. Hist. Nat. IV, 14. Tacit. Germ. c. 2.

31. *Papencordt* p. 4. *Zeuss* p. 445.

32. Dio Cass. 55, 1: ῥεῖ δὲ (ὁ Ἄλβιος) ἐκ τῶν Οὐανδαλικῶν ὀρῶν.

33. Jorn. cap. 22: „quo tempore erant in eo loco manentes, ubi Gepidae, sedent juxta flumina Marisia, Miliare et Gilpil et Grisia, qui amnes supradictos excedit. Erant namque illis tunc ab oriente Gothi, ab occidente Marcomanni, a septentrione Hermunduri, a meridie Hister, qui et Danubius dicitur."

34. Jorn. cap. 22: „Wandali — — — Pannoniam a Constantino principe petiere ibique per LX annos plus minus sedibus locatis, imperatorum decretis ut incolae famularunt."

35. Greg. Tur. II, 9. Prosperi chronicon ad a. 406. Ronc. I, p. 646.

36. Idat. Chronicon (Ronc. II, 15): „sorte ad habitandum sibi provinciarum dividunt regiones. Gallaeciam Vandali occupant et Suevi sitam in extremitate Oceani maris occidua. Alani Lusitaniam, et Carthaginiensem provinciam et Vandali cognomine Silingi Baeticam sortiun-

tur. Hispani per civitates et castella residui a plagis. barbarorum per provincias dominantium se subjiciunt servituti."

37. Idat. Chron. p. 19: „Wandali Silingi in Baetica per Walliam regem omnes exstincti, Alani qui Wandalis et Suevis potentabantur, adeo caesi sunt a Gothis, ut exstincto Atace rege ipsorum pauci, qui superfuerunt, abolito regni nomine, Gunderici regis Wandalorum, qui in Gallaecia resederat, se patrocinio subjugarent."

38. Vict. Vit. II, 13. IV, 2. Rex Hunerix Wandalorum et Alanorum. Proc. de bell. Vand. I, 24: „ὦ Βανδίλων τε καὶ Ἀλανῶν βασιλεῦ."

39. Idat. Chron. p. 19.

40. Chronic. breve ap. Ronc. II, 260. Proc. de bello Vand. I, 3. 4. 5. Vict. Vit. I, 1. Idat. Chron. apud Ronc. II, 23.

41. *Zeuss*, die Deutschen p. 455.

42. *Zeuss*, p. 461. Dio Cass. 71. Petr. Patric. Exc. legat. ed. Bonn. p. 124. Jorn. cap. 16.

43. Ita Francogallia „*Merovingia*", postea „*Kerlingen*", Francogalli ipsi „*Merovingi*", postea „*Kerlinger*" a dynastiis Merovingorum et Karolingorum nominabantur. Alia exempla exhibentur in indice Corp. scriptt. hist. Byz. Vol. I. s. v. Juthungi a Niebuhrio. Sic Remigius episcopus alloquitur Chlodovaeum: „Mitis depone colla *Sicamber*!" *Waitz* II, 10.

44. Paulus Diaconus de gest. Langob. I, 7. nominat Vandalorum ducem *Assi*, quod nomen, fabulosum quidem, cohaerere videtur cum genere Asdingorum.

45. Dio Cassius LXXI, 12: „ὧν Ῥᾶός τε καὶ Ῥάπτος ἡγοῦντο, ἦλθον μὲν ἐς τὴν Δακίαν οἰκῆσαι."

46. Dexippi hist. excerpt. p. 20. ed. Bonnens: ὅτι ἐπὶ Αὐρηλιανοῦ οἱ Βανδῆλοι κατὰ κράτος ἡττηθέντες παρὰ Ῥωμαίων ἐποιήσαντο πρεσβείαν . . . . οἵ τε γὰρ βασιλεῖς τοὺς παῖδας ἑκάτεροι διδόασιν ἐς τὴν ὁμηρείαν etc.

47. Gregor. Tur. II, 9: „Vandalis Francorum bello laborantibus, *Godigisclo rege absumto acie* etc."

48. Isid. chronic.: „*Primus* autem in Spania successit Gundericus rex Wandalorum."

49. Idat. chronic. p. 22: „Gundericus rex Wandalorum capta Hispali, cum impie elatus, manus in ecclesiam civitatis ipsius extendisset, mox Dei judicio daemone correptus interiit. *Cui Gensericus frater succedit in regno.*" Aliter Procopius primorum regum successionem enarrat; nos autem Idatium sequimur aliosque scriptores occidentales, quorum ea in caussa sine dubio major est auctoritas. *Papencordt* p. 341.

50. Proc. de bell. Vand. I, 4. Prosperi chronic. (p. 659): „Pax facta cum Vandalis, data eis *ad habitandum* per Trigetium Africae portione III Idus Februarii Hippone." *Papencordt* p. 343.

51. Prosper chronicon p. 666: „Cum Genserico autem ab Augusto Valentiniano pax confirmata et *certis spatiis Africa inter utrumque divisa est.*"

52. De divisionibus agrorum optime agit *Ernestus Theodorus Gaupp* in doctissimo libro: Die germanischen Ansiedlungen und Landtheilungen, 1844. De Vandalis agit p. 441—454.

53. Victor de persec. Vand. I, 4: „*post cujus* (Valentiniani) *mortem totius Africae ambitum obtinuit.*"

54. Proc. de bello Vand. I, 7: „ἕως αὐτῷ βασιλεὺς Ζήνων ἐς ὁμολογίαν ἀφίκετο σπονδαί τε αὐτοῖς ἀπέραντοι ξυνετέθησαν, μήτε Βανδίλους πολέμιόν τι ἐς τὸν πάντα αἰῶνα Ῥωμαίους ἐργάσασθαι, μήτε αὐτοῖς πρὸς ἐκείνων ξυμβῆναι. ταύτας τε τὰς σπονδὰς Ζήνων τε αὐτὸς διεσώσατο καὶ ὅς μετ' ἐκεῖνον τὴν βασιλείαν παρέλαβεν Ἀναστάσιος. διέμειναν δὲ καὶ ἐς Ἰουστῖνον αὐτοκράτορα."

55. *Marcus*, histoire des Wandales p. 196. *Salvianus*, de gubernatione Dei. L. VII. Victor Cartennensis p. 23.

56. *Marcus* p. 197. *Papencordt* p. 246.

57. *Marcus* p. 324—336. Victor Vit. IV, 2.

58. Prosperi chronic. p. 666: „In Gensericum apud suos de successu rerum superbientem quidam optimates ipsius conspiraverunt, sed molitione detecta, multis ab eo suppliciis excruciati atque extincti sunt. Cumque idem audendum etiam aliis videretur, multis regis suspicio exitio fuit, ut hac sui cura plus virium perderet, quam si bello superaretur."

59. *Hoc* verbum etiam plurali numero de uno testamento et ultima morientis voluntate dici, observant grammatici. *Theophili* paraphrasis institutionum ed. *G. O. Reitz* cum glossario Theophilino Tom. II. p. 1216.

60. Simili ratione Alfonsus, conditor ac primus rex Portugalliae, in comitiis Lamaecensibus primo loco rationem succedendi, quodammodo regni fundamentum, stabilivit, quacum lege etiam alia juris publici gravissima praecepta conjunxit. *Hermann Schulze*, die portugiesische Thronfolge, 1854, p. 6—12.

61. *G. Waitz* II, 93—97. *Paul Roth*, Geschichte des Beneficialwesens 1850, p. 55—63. *Hermann Schulze*, das Recht der Erstgeburt p. 17—26. Gregor. Tur. IV, c. 22: „inter se quatuor filii (regis) *divisionem legitimam* faciunt." VII c. 32: „Gundobaldus, qui nuper ab oriente veniens, dicit se filium esse patris vestri regis Clothacharii misit nos, *ut debitam portionem regni sui recipiat.*" Sic etiam in regno Thuringorum et Burgundionum *plures* fratres regiae potestatis participes erant; sic Gundericus rex Burgundionum cum Chilperico fratre, Gundobaldus cum Godegisilo, Chilperico et Godomare fratribus regiam potestatem communicabant. Lex Burg. tit. III. *M. A. v. Bethmann-Hollweg p.* 54.

62. Jorn. c. 50: „inter successores Attilae de regno contentio orta est et *dum inconsulte imperare cupiunt cuncti*, *omnes simul*

imperium perdidere. Sic frequenter regna gravat plus copia, quam inopia successorum. Nam filii Attilae gentes *sibi dividi aequa sorte poscebant*, ut ad instar familiae mitterentur in sortes etc." Similiter etiam in Suevorum populo divisio regni magnas controversias evocavit. Isid. chronic. Suevorum: „Occiso Rectiario Suevi *bifarie divisi* pars Fratan, pars Masdram sibi regem constituunt. — — Quo extincto inter Framasium et Remismundum Masdrae filium *oritur de regni potestate dissensio.*"

63. *J. St. Pütter*, institutiones juris publici §. 445 seqq. *Georg Michael Weber*, Handbuch des Lehenrechtes III, p. 380 seqq. *Heinrich Zöpfl*, Grundsätze des Staatsrechts §. 248.

64. Celebratur Gensericus tamquam regni conditor ac stirpis regiae proauctor a Dracontio poëta, qui Gunthamundum regem Vandalorum, nepotem Genserici, versibus suis reconciliare studuit:

„Servet, avi ut laudes dicam patriasque suasque
Perque suas proles regia vota canam."

Alio loco praedicatur Gensericus ab eodem poëta:

„Inclytus, armipotens, vestrae pietatis (Gunthamundi regis) *origo.*"

Etiam ultimis regni temporibus Genserici conditoris nomen quasi pro palladio gentis regiae ac totius populi Vandalici habebatur. Gelimer rex Vandalos alloquitur: „μὴ καταισχύνητε τὴν Γιζερίχου δόξαν." Proc. II, 2.

65. Huic successionis principio nomen *Legis Salicae* tribui solet. *H. Zöpfl*, deutsche Rechtsgeschichte p. 403 (§. 33).

66. *Hermann Schulze*, die portug. Thronf. p. 8 seqq.

67. Multa matrimonia regum cum filiabus regiis enumerat *Göhrum*, Lehre von der Ebenbürtigkeit, 1846, I, p. 23 seqq., certa tamen regula in matrimoniis ineundis non observabatur p. 141. *G. Waitz* II, p. 125—128. Etiam Merovingi saepius cum feminis inferioris conditionis et ancillis ipsis conjuncti erant, quarum liberi successionis capaces habebantur: *H. Zöpfl*, Rechtsgeschichte p. 606 (§. 82).

68. Jorn. de reb. Get. cap. 52: „Theodericus ejus filius de Erelieva concubina." Nec magni reges a dignitate sua alienum putarunt in matrimonium ducere Theoderici filias „naturales ex concubina." Jorn. 58. — Proc. de bell. Vand. I, 3: „Γιζέριχος δὲ νόθος." Apoll. Sidon. Carm. II, 58: „Cum serva sit illi (Genserico) certa parens." V, 57: „famula satus olim." Nec desunt exempla, quibus Germani praeferebant strenuum ex concubina filium legitimis liberis regis defuncti. Ita Alaricus rex Visigothorum filium legitimum Amalaricum ex uxore regia natum, parvulum, et Gesalicum ex concubina ortum, adultum, reliquit; Gesalicum autem praetulerunt Visigothi legitimo filio. *Aschbach*, Geschichte der Westgothen p. 173. Isidor. chronic.: „Gesalicus superioris regis *ex concubina* filius princeps efficitur."

69. Jorn. de reb. Get. c. 36: „Gensericus, rex Vandalorum, metuens, ne Theodericus, Visigothorum rex, filiae ulcisceretur injuriam,

quae Hunerico Generici filio juncta, prius quidem tanto conjugio laetaretur. . . . ."

70. In definiendis his succedendi modis paene omnes scriptores consentiunt: *Mittermaier*, Grundsätze des d. P. R. II, § 450. p. 558. *Gerber*, System des d. P. R. §. 275. *Eichhorn*, Einleitung in das d. P. R. §. 370. *Georg Michael Weber*, Lehenrecht IV, p. 1—77. *v. Salza Lichtenau*, Lehre von den Fideicommissen p. 126—149.

71. Sic in domo Wirtembergensi pactum Munsingense d. a. 1482 constituit ob eandem caussam senioratum nec primogenituram. *Hermann Schulze*, Recht der Erstgeburt p. 285 seqq. Pactum ejusdem naturae inter quatuor filios Magni II. in domo Brunswicensi d. a. 1374. p. 279. Alia exempla enumerantur in eodem libro p. 324 seqq. Eandem ob caussam postgeniti indroductioni primogeniturae tamquam institutioni perniciosae („der Einführung eines fremden, dem Fürstenstande hochschädlichen, ungleichen und unbilligen Primogeniturwesens." Pactum fratrum Saxonum Vimariensium d. a. 1629) se opposuerunt lubentiusque semper acceperunt senioratum, quam primogenituram: „Jederzeit soll dem a e l t i s t e n Herrn oder Vetter, *ohne einigen Unterschied der Linien*, solcher Principat aufgetragen werden." In eodem pacto d. a. 1629. Recht der Erstgeburt p. 325.

72. *Hermann Schulze*, das Recht der Erbfolge in den fürstlich Sinzendorfisch-Reussischen Fideicommissherrschaften Haggenberg und Ernstbrunn, 1859, p. 30.

73. *Heinrich Zöpfl*, deutsche Rechtsgeschichte p. 779. (§. 113).

74. In multorum populorum historia vestigia senioratus inveniuntur, ubi regis defuncti frater ejus filium excludit. Ita apud *Parthos* Mithridates ad regnum pervenit. Justini hist. L. 41, c. 5. „Phrahates, more gentis heres regni, decessit *multis filiis relictis, quibus praeteritis fratri potissimum Mithridati reliquit imperium.*" — Similis succedendi ratio in *Syria* valuisse videtur teste Justino L. 34, 3: „Antiochus decedit, relicto parvulo admodum filio, patruus ejus Demetrius, qui obses Romae erat, cognita morte Antiochi fratris senatum adiit: „Dimitti igitur se ad regnum petendum aequum esse, *quod sicuti jure gentium majori fratri cesserit, ita nunc sibi, qui pupillum aetate antecedat*, deberi." — Etiam apud *Langobardos* non semper filium patris successorem fuisse testatur Procop. de bello Gothico III, 35: Λαγγοβαρδῶν Ουάκης ἦρχεν· ην τίς οἱ ἀνεψιὸς 'Ρισιοῦλρος ὄνομα, ὃν δὴ ὁ νόμος, ἐπαιδὰν Οὐάκης τελευτήσειεν, ἐπὶ τὴν ἡγεμονίαν ἐκάλει. προνοήσας οὖν Οὐάκης ὅπως εἰς τὸν παῖδα τὸν αὐτοῦ ἡ ἀρχὴ ἄγοιτο." — Eandem consuetudinem testatur apud *Hunnos Nicetas Choniates* de Manuele L. IV, c. 1, qui nominat non filium, sed fratrem regis defuncti Iazae: „ὡς δῆθεν εἰς ἀρχὴν δικαιύομενον." — Mos, qui Livio teste antiquissimo tempore apud Numidas valuit, etiam medio aevo apud *Mauros* ac *Saracenos* Hispanicos observabatur, ex quo fratres praelati sunt filiis ad tempora Abderamani. Mariana hist, Hispaniae L. 29, c. 22. L. 7. c. 19: „Cor-

dubae imperium suscepit Abderamanus, Abdallae ex Mahomede filio nepos, novo exemplo, ut in Maurorum imperio nepotes praeferrentur filiis (i. e. patruis suis)." *Rodericus Toledanus* hist. Arabum c. 6. *Thuanus* histor. L. 65. de Hamete: „quippe patris testamento ad regnum ordine *post* fratres vocatus, exclusis illorum filiis." *Hammer-Purgstall*, celeberrimus autor, in commentatione „die rechtmässige Thronfolge nach moslimischem Staatsrecht" p. 601 dicit: „Die ersten 14 Sultane folgten sich der Sohn dem Vater; als aber beim Tode des vierzehnten die Söhne alle minderjährig waren, wandte der Divan die Thronfolge dem Oheime der Prinzen, Mustafa I. zu. *Von dieser Zeit an blieb das Seniorat das regelnde Princip der Thronfolge.* Der dem Seniorate vor der unmittelbaren Geschlechtsfolge vom Vater zum Sohne eingeräumte Vorzug stammt aus mongolischen Begriffen her. — — — die mongolische Hochachtung für das Seniorat ging mit so vielen andern Formen mongolischer Staatseinrichtungen in die der Osmanen über." De senioratu in domo Tchingiscani vid. *Hammer-Purgstall* eodem loco. — Teste *Prescottio*, celeberrimo Americano scriptore, in imperio Aztecorum fratres imperatoris defuncti praeferebantur ejus filiis, History of the conquest of Mexico, Vol. I, p. 16, non autem in regno Peru (ut *Acosta* natur. et moral. hist. L. VI, c. 12 obtinuerat) sed ibi continua de patre ad filium successio. History of the conquest of Peru I, p. 16.

75. Postgenitorum conditio accuratius est explicata in libro Recht der Erstgeburt p. 177 seqq. §. 29 (die Stellung der nachgebornen Herrn). Ostenditur ibi, etiam agnita *principatus* individua natura, tamen *patrimoniales* fundos aeque inter fratres partitos et ita etiam minoribus prospectum esse.

76. Victor Vitensis de persec. Vandal. I, cap. 14: „advocat quendam Felicem *procuratorem domus filii regis.*" „Ipse enim Gensericus praeceperat, ut intra aulam suam *filiorumque suorum* nonnisi Ariani per diversa ministeria ponerentur. . . ." cap. 16: „fuit hic procurator domus Hunerici."

77. Proc. de bello Vand. I, cap. 8. Victor Vitensis de persec. Vand. II, cap. 1: „*Mortuo igitur Genserico Hunericus major filius patri succedit.*" Jorn. de rebus Get. cap. 33: „Primum Gensericus, qui pater et dominus, sequens Hunericus etc."

78. Apud antiquos Germanos sacerdotes pro custodibus divini et humani juris habebantur, unde etiam *êwarte* nominabantur. *Jacob Grimm*, deutsche Mythologie p. 59: „êwa, êa bezeichnet nicht bloss das weltliche, sondern auch das göttliche gesetz, die früher genau verbunden und gleich heilig waren, êwart, êowart also den pfleger, hüter des gesetzes, den νομικός." Fortasse etiam christianus Arianorum clerus, qui cultu ac usu linguae vernaculae indolem habebat tam popularem, ex parte eodem officio fungebatur in institutionibus ac moribus patriis defendendis.

79. Gelimer, quia *contra* legem potestatem summam usurpaverat, etiam ab Isidoro non regis, sed *tyranni* nomine insignitur: „Quem

(Hildericum) Gelimer assumpta *tyrannide* regno privavit. . . . Post haec Gelimer *tyrannus* regnavit annis tribus . . . . Gelimer *tyrannus* Hildirim *regem* occidit. Belisarius Gelimerem *tyrannum* capit . . ."

80. De jure, quod sibi vindicabant Germanorum populi, reges inutiles de regno removendi videas. *G. Waitz* l. c. I, p. 168. *J. Grimm*, Rechtsalterthümer p. 232.

81. *G. F. Puchta*, Geschichte des Rechts beim Römischen Volke §. 87: „Auch die Wahl des Princeps sollte dem Senate zustehen, aber er war auch hier beschränkt durch die Designation des Nachfolgers von Seiten des Vorgängers, die gewöhnlich in der Form der Adoption geschah und dem Designirten den Titel Caesar noch beim Leben des Vorgängers verschaffte. Und wo der Senat von dieser Seite frei gewesen wäre, da wurde er gezwungen, der Autorität des Heeres zu folgen, welches sich später gewöhnlich die Wahl anmasste."

82. *Puchta* l. c. „Der Kaiser ist unumschränkter Herr und Gebieter, vor welchem kein Element im Staate ein irgendwie selbstständiges Dasein hat. Denn er ist zugleich das lebendige Gesetz, niemand kann sich ihm gegenüber auf das Gesetz berufen, das er in jedem Augenblicke nicht bloss für die Zukunft, sondern auch für die Vergangenheit verändern kann, und über welches er erhaben ist." Justin. Nov. 105, c. 2, §. 4.

83. *Paulus Rothius* hanc juris publici Romani conditionem in libro doctissimo (Geschichte des Beneficialwesens p. 59) his verbis vituperat: „Ein sorgfältiges Ausbilden der feinsten Nüancen des Privatrechts und nur im weiten Reich kein Schutz für Person und Eigenthum, ein bewundernswürdiges Verständniss der Feinheiten des Civilprocesses, *nur in dem Processe der Bestellung eines Staatsoberhauptes eine 476jährige Anarchie.*"

Corrigenda.

P. 3. lin. 11 l. potestatem. — Lin. 29 l. regnum ab antiquissimis temporibus.
P. 6. - 4 l. Lethingorum.

Jenae, Typis Ratii.